


127





12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23

+



DISPUTATIO⁴⁸ JURIDICA
DE
DIFFIDATIONIBUS

vom
Befehlen

QVAM
DEO DIRIGENTE

AC
Autoritate Jctorum Lipsiensium,
PRÆSIDE
VIRO

*Maximè Reverendo, Nobilissimo, Excellentissimo
ac Consultissimo*

DN. D. BARTHOLOMÆO LEON-
HARDO SVENDENDÖRFFERO

Jcto & Antecessore celeberrimo, Cod. Professore Meritis-
simo, Canonico Martisburgensi, Curæ Provincialis Supremæ
ac Facultatis Juridicæ Assessore Gravissimo, ut & Academiæ
Patriæ Decem-Viro Spectatissimo.

Dn. PATRONO AC STUDIORUM SUORUM PROMOTORE
æviternum colendo.

Publico Eruditorum examini submittit

WILHELMUS HOMBERS / Bataviâ
Javanus, Indus Orientalis.

Aut. & Resp.


ad diem IX. Martii, Anno Christi M. DC. LXXVI.


hor. loc. que Consv.

L I P S I Æ ,

LITERIS JOHANNIS WILHELMI KRÜGERI.

H. Hieronymus Gruber.





PRÆFAMEN.



Uicet Justinianus Imperator multas variasque leges tam promulgarit, quam composuerit de plurimis & ferè omnibus rebus, quæ in vita civili accidere solent, nihilominus tamen de Diffidationis crimine nec quidquam in suis Legumlationibus (quantum mihi adhuc innotuit) aut dixit aut præcepit. Non autem hoc factum esse ea propter censendum est, ac si tunc temporis crimen hoc nunquam perpetratum fuerit, passim enim legitur in historiis ante Justinianum scriptis, multoties accidisse, quendam proximo suo, imò etiam toti communitati interdum aut Reip. amicitiam renunciaisse, inimicitiasque adjecta comminatione incendii, prædationis ac cædium denunciaisse: sed fortè eam ob causam prætermisit appellationem hujus criminis in suis Edictis Justinianus Imperator, ne Romani Nobiles, ad rebellandum alias sat proni, legentes de hoc crimine ad id ipsum perpetrandum instigentur, quo Remp. Romanam insigni clade afficere potuissent, & quidem eo tempore, dum Romanor. Imperator non Romæ sed Constantinopoli viveret. Ob perversitatem enim voluntatis humanæ semper id cupimus, quod ipsis legibus interdictum est. Sed quidquid horum sit, negari tamen non potest, diffidationem (illicitam scilicet) atrocissimis maximeque

A 2

dete-

detestabilibus, quæ sunt; criminibus annumerari debent.
De hac autem tam licita quam illicita diffidatione cum
disputare animus est, hæc Positiones publicæ jam cen-
suræ sisto. Si autem prætermissum quidquam aut super-
fluum in iis invenitur, sciendum est, Divinitatis potius
quam humanitatis esse, cuucta scire, & in nullo penitus
peccare. *arg. l. 2. §. 14. Cod. de veter. Jur. Erucl.*

Thef. I.

Priusquam aggrediamur definitionem ipsam diffida-
tionis, operæ præcium erit. monente Ulpiano *in l. 1. princ.
ff. d. Just. & Jur.* nosse unde nomen diffidationis descen-
dat, & quid significet vocula illa diffidatio. Derivatur
autem verbum diffidare à Gallico vocabulo *desier*, ut vo-
lunt *Webner. lib. sing. observ. præf. sub lit. B. in verbo Befehden/
& Fred. Mind. lib. 1. de procesfib. c. 29. n. 2.* Sed quia latinum
illud diffidare à Gallica vocula *desier* & numero syllaba-
rum & sono earundem planè diversum est, non mihi de-
rivatio hæc congrua videtur; melior esset derivatio à vo-
ce Italicâ *disfidare*, quod idem significat ac provocare,
herausfordern. Quoniam autem provocatio non spectat
solummodo ad diffidationem, sed multis sæpenumero
accedit actionibus, nec etiam diffidatio semper incipere
debet à provocatione, sed à calamitatis inferendæ de-
nunciatione, sequitur nec hanc derivationem amplecti
deberi; verba enim ipsis rebus congrua sint necesse est. *arg.
l. 7. Cod. de Codicill. §. 3. vers. sed nos. Inst. de Donat. can. 11. caus. 22.
quest. 5.* Buxtorfius teste Gerlachio notavit *in dissert. ad Aur.
B conclus. ult. lit. C.* vocem diffidatio ab antiquo *Feida die
Fehde* originem traxisse,

Thef. II.

Statuimus itaque cum Hotomanno, *lib. de verb. Feud. in
voce*

voce Feida, Latinos voculã diffidatio it. diffiduciatio à Bar-
baris accepisse, & significat idē ac Bellū indicere, inimici-
tias denunciare, hostē declarare, &c. tunc ergo rectē dici-
tur aliquem diffidare, quando quis alicui aut pluribus
vim denunciat, declarat se ipsorum esse hostem, acerrimā
ipsis minando calamitatem. *Hotoman. dict. loc.* Mollerus in
commentar. ad Const. Elect. Sax. 15 part. 4. num. 3. illos propriē
diffidatores esse statuit, qui non contenti ordinaria juris
cognitione, quem neque illi, cum quibus quid habent ne-
gotii, nefugiunt, neque Judices denegant, sed Jus in mani-
bus se habere putantes, sprete legum & Magistratum au-
thoritate, pro libidine sua, vi & metu homines, ut volun-
tati suæ pareant, compellere conantur. Appellatur diffi-
datio à Livio & Quintiliano Clarigatio, ut annotavit
Gail. libr. sing. de Pignorat. obs. 2. num. 8. Et quidem eam ob cau-
sam, ut quidam putant, quod diffidatio clara voce fit. Sed
quia scimus diffidationem nudo signo quoque expediri
posse, mit Brandzeichen aufstecken/ hanc explicationem
ut incommodam rejicimus; dicitur & diffidamentum,
teste Papæ decis. 191.

Thef. III.

Definitur autem à Bocero diffidatio, quod sit denun-
ciatio animi hostilis, qua quis alii cuiquam significat, se
eum armis, igne, spoliis, rapinis &c. persequuturum.
Da einer dem andern die Freundschaft aussagen/ hingegen
die Feindschaft ankündigen läst/ Brandzeichen aufsteckt/
ihm mit Mord/ Brand/ Raub/ und dergleichen zu beschä-
digen drohet. Ludovicus Gilhaus. in *arbor. crim. cap. 2. tit. 8.*
n. 1. eam sic definit: Est Belli ac extremarum inimicitiarū
denuciatio: *vid. Aur. B. Car. IV. cap. 17.*

A 3

Thef.

Thef. IV.

Generis loco in hac definitione ponitur denunciatio animi hostilis, necessario enim denunciari prius debet hostilitas, arg. §. *Gazaros*, 5. *Const. Erid.* 2. *Imperat. subjecta libris Feud. ic. lib. 5. Feudor. tit. 10. §. statuimus etiam.* Alias si statim adesset manus armata, & in continenti vis fieret, non esset diffidatio sed vis publica. Diffidatio futuram non presentem designat vim, *Mind. lib. 1. de Processib. cap. 25. §. 3. n. 8.* differunt ergo genere diffidatio & vis publica, diffidatione enim ipsa non vis inferitur, sed proxime sequi solet diffidationem vis publica, annunciatum solummodo per diffidationem, diffidatorem vim publicam illaturum diffidando, non autem sola calamitatis inferendae annunciatum ipsam calamitatem infert, sed eo ipso, quo publice indicat, se diffidandum armis, igne, spoliis, caedibus, rapinis &c. persequuturum, serio declarat, diffidandum à diffidatore nihil aliud quam vim publicam expectare debere, ob id etiam quoniam ad vim publicam tam propè accedit, & quasi præcursor illius criminis est, & tali ferè ponitur modo quo vis publica, quidam putarunt speciem esse præfati criminis, sed quod non sit hisce satis probatum esse duxi. Differentia specifica invenitur hisce verbis: Se cum armis, igne &c. quibus differt à minis seu minitationibus.

Thef. V.

Sunt & inserta definitioni nostræ hæc verba: alii cuiuspiam, quæ generaliter sunt intelligenda, complectuntur enim tam universam quandam communitatem, puta oppidum, pagum &c. quam singulos homines in specie consideratos, qui etiam extra civitatem seu pagum in arcibus seu villis suis habitant, quod etiam testatur *Recess. Imp.*

Im. Wormac. de anno 1495. rubr. Friedbot. his verbis: So ord-
nen wir Krafft dieses Briefes/das niemand den andern bes
sehden/bekriegen/berauben/belegen/sahen/überziehen/
noch auch einig Schloß/Stadt/Marck etc. mit gewaltiger
That freventlich einnehmen/oder gefährlich mit Brand o/
der andere Wege beschädigen soll. Errant igitur insigniter,
qui statuunt, hoc tantum esse diffidationem, quando quis
modo prædicto se resistit toti cuidam communitati, aut
urbi, non vero uni privato, asserentes porrò diffidatio-
nem tantum pertinere ad totum populum, minus autem
ad privatam, cum tamen expressè existet in *præd. Recess.* Das
niemand den andern besehden/noch auch einig Schloß/
Stadt etc. bekriegen etc. *it. in Aur. Bull. cap. 17. verb. nec licere*
qvempiam invadi &c. ex quibus apertè patet diffida-
tionis crimen committi posse tam in unicam personam
privatam, quam in totam quandam communitatem.

Thef. VI.

Dividitur diffidatio in Justam seu licitam, quæ Jure
permittente fit, & Injustam, quæ procedit contra permis-
sum Juris & summi imperatoris *dict. Aur. Bull. cap. 17. Ordin.*
Crim. Carol. V. art. 129. Mind. lib. de Processib. cap. 25. n. 3. Gilhaus, arbor.
Crim. cap. 2. tit. 8. n. 2.

Thef. VII.

Diffidatio licita seu Juribus permilla est primo Indica-
tio Justæ Belli, quam indicationem das Absagen/den Krieg
ankündigen/ præcedere bella debere, satis ostendunt
Bocer. tract. de Bello. cap. 5. Gilhaus, loc. supr. citat. Bald. in constit. Frider.
Imperat & ejus Filii Henr. de Pac. Constant. §. Vasalli nostri, num. 3 it. l.
si manumissio 4. Cod. d. Obseq. Parent. præst. it. in l. 2. n. 71. Cod. de Ser-
vit. §. aqua. it. in l. si Exercitator n. 34. Cod. de Execut. rei Judic. it. in
Arch. nulla communitas, n. 2. Cod. de Episc. & Cler. &c. Non autem
quis

quis putet, præmitti ab Imperatoribus hanc indictionem
eam ob causam, ut hosti spatium sit parandi sese ad resi-
stendum, sed ut constet non privato paucorum ausu, sed
publicè & solenniter Bellum geri, adeoque hostis sciat
cum quo sibi res sit futura. Et statuunt Doctores com-
muniter, ejusmodi bella destituta solennitatibus hisce,
scil. Authoritate Imperatoris, justa belli causa, & præ-
puè diffidatione prætermissa, non esse justa, Siquidem
Solennia tantum bella jure Gentium justa vocantur, in
hoc enim differunt à Prædationibus, & similib⁹ injustitiis,
*l. 118. ff. de V. S. Bald. in l. ex hoc jure n. 11. ff. de just. & jur. ut in l. si ma-
numissoribus. n. 2. C. de Obs. Pat. Puffend. in Element. Jur. Nat. & Gent.
defin. 3. §. 6. in fin. Schneidvv. in comment. ad Inst. §. omnium n. 125. de
Action.* Qvi postremus loco citato expresse dicit: Hodie
si bellum moveretur, prius debet denunciari hosti, & diffi-
dari, alioqvi bellum esset injustum, & hoc probat ex tex-
tu Aureæ Bullæ Norim. anno 1356. editæ, sub rubrica,
vom widersagen/ ubi hæc inveniuntur: Wer den andern
hesehden oder bekriegen wil / seine Ehre zu verwahren/ soll
drey natürliche Tage/ zuvor er ihn mit brennen oder rau-
bē angreiffet/ ihm selbst/ oder ander Statt/ da er gewöhnlich
pflegt zu wohnen/ öffentlich absagen/ etc.

Thef. VIII.

Jure Gentium solennia bella justa vocari thesi præce-
dente diximus, quoniam bellum non potest dici modus
pervenienti ad jus suum jure naturæ productus, ut bene
observavit *Puffend. loc. supr. cit.* Sed cum cesset obligatio
usurpandi jus naturæ adversus alterum, ubi alter idem ad-
vers⁹ me non usurpat, sanè aliud quid subsidiarii homini
emergit debet, nempe Bellum. Jus naturæ omnes homines
æqualiter obligat ad exercenda invicem ex jure naturæ
debita

debita officia, & quamdiu alter mihi exhibet quæ lex naturæ præcipit, eadem ipsi præstare debeo, ac vero quando alter jus hoc adversus me violat, tunc sane impudentissime idem à me postulaverit, ut ea ipsi exhibere officia pergam, nisi denuo acta pœnitentia ad ea repetenda sese obstringat, quando autem ob perversitatem adversariorum jus nostrum tueri aut consequi pacificè non possumus, tunc jus Gentium in defectu commodioris medii aliud nobis remedium, nempe salutem nostram per vim expediendam proposuit.

Thef. IX.

Diffidationem quoque justam dicimus secundo hanc, quæ fit contra extraneum Principem, imperii Statui justitiam denegantem *test. Kumel. ad tit. 17. A. B. de diffid. it. illam quæ fit indefensionem sui ipsius, & in repellendam vim adversariorum. l. 3. ff. de jus, & jur. l. 155. §. non videtur. ff. de S. I. l. 1. §. 27. g. de vi & vi arm. Peinl. Hals-Verichts-Ordn. carol. V. art. 129. Berlich. part. 4. concl. 21. n. 22. 23. 24. Const. Imp. Frid. II. apud Goldast p. 81. cap. 4. sub Statut. & Rescript. Imp. Boceo. tract. de diff. cap. 2. n. 8. Gilhaus. arbor. Crim. cap. 2. tit. 8. n. 9. Stephan. ad const. Crim. Carol. V. dict. art. 129. Ruding cent. 1. cap. 58.* Item denegatio necessarii transitus Exercitus alicujus Imperatoris, justa etiam diffidationis causa est, uti illud bene observavit Israëliticus ille dux Moises, cum Exercitui suo denegaretur transitus per terram Amoritarum in Palæstinam ab illius territorii Rege Sihon, qui totaliter ob id à Moise deletus & Regno suo exutus est. *Numer 21.* Sed notandum, præprimis deberi quaslibet diffidationes, priusquam justæ evadant, concedi ab imperio, alias enim vi Recessuum Imperii in justæ forent,

Thef. X.

Ne autem hæc alias licitæ diffidationes fiant penitus illegitæ,

B

gitæ,

citæ, observatu opus est, ut interdium non noctu fiant, & etiam per tres dies naturales ipsi diffidando publice intimantur, & quidem personaliter, aut in loco habitationis suæ, se quoque caute prospiciat diffidator, ut intimationem hanc verè factam esse per testes idoneos probare possit, ne infamiam suâ negligentiam incurrat. *vid. sap. cit. 17. Aur. Bull. Restricto tamen hæc addenda est, nemini privato licere modo prædicto diffidationes exercere, nisi solummodo Principibus, & iis penes quos est τὸ πᾶν κράτος, seu Summum Imperium, & quibus Regalia competunt, ut vult Berlich. part. 4. concl. 21 n. 25.*

Thef. XI.

Cognitis speciebus licitæ diffidationis, facili negotio cognosci poterit diffidationis illicitæ descriptio, sunt tamen qui penitus negant ullam diffidationem adhuc licitam esse, & putant novellas Imperii constitutiones omnem omnino diffidationem abrogasse, ita ut nulla adhuc licita & in usu sit, conanturque suam probare opinionem, per textuum in Recessibus Imp. generalitatem, siquidem allegant *Recess. Wormac. de anno 1495. tit. Friedboch / & tit. von Aufhebung aller Fehd. it. de anno 1500. tit. vom aufgerichteeten Land-Frieden. de anno 1512. §. ob jemandes. de an. 1521. tit. von Aufhebung aller Fehd.* Sed quoniam generalia semper ad terminos habiles sunt restringenda, nec specialiter illas quas justas diximus diffidationes præfati Recessus abrogarunt, solummodo injustas abrogatas esse statuimus, dicunt enim Imperatores Theodosianus & Valentin. *in l. 32 §. 6. Cod. de Apellat. & Consult.* Quidquid hac lege non specialiter videtur expressum, id veterum legum constitutionumque regulis omnes relictum intelligant, ipsi quoque Recessus Imp. contra nos allegati testantur, non simpliciter omnes abrogatas esse diffidationes, sed solummodo illas, quæ contra jus & licitum

tum fiunt, quod apparet in dicto Recess. de an. 1512. §. und ob jemand
verb. Befehden / anklagen / bekriegen / oder das ihrige
mit Gewalt ohne Recht nehmen wird Cit. Divus Ca-
rolus V. ordin. sua Crim. art. 129 præcisè distingvit inter lici-
tas & illicitas diffidationes, his verbis: Doch ob jemand
seiner Fehde halber von uns / und unsern Nachkommen am
Reich Erlaubniß hätte. Cujus ordinatio inter memo-
ratos Recessus novissima, & ideo firmissima est. Sana
deniq; ratio, diffidationes quasdam adhuc licitas esse, nec
unquam abrogari, svadet, posuimus n. (1) Indictionem
belli licitam esse diffidationem, ratio est, quia bellum
ipsum est licitum, ergo etiam illius annunciatio. (2) Dixi-
mus omnem diffidationem, ut justa sit, deberi ab Imperio
permitti; quidquid autem noviter ab imperio permitti-
tur, illud, non obstante lege anteriore in contrarium lata,
tutò absque *avivopulas* crimine perfici potest.

Thef. XII.

Est autem diffidatio illicita, denunciatio acerrimæ perse-
qvutionis, contra dispositionem juris facta. Per verba:
acerrima persequutionis, totus intelligendus est sensus definiti-
onis diffidationis in genere superius traditæ. Differenti-
am specificam inter licitam & illicitam diffidationem,
continent verba sequentia: *Contra dispositionem juris facta*.
Sicut enim illa incipitur prius impetrata venia ab Impera-
tore, ita hæc nulla impetrata venia orditur. Finis illius est,
vel recuperatio pristinæ pacis, vel administratio denega-
tæ justitiæ &c. Hujus autem finis est plerumque invidia,
proximum suum nocendi desperata libido, plus habendi
cupiditas &c. Non ergo inmerito ab imperatoribus mali-
gna hæc dissidiarum & omnis generis conspirationum
radix extirpata est, contrariatur enim non modo hone-

stati & juri divino, quod etiam concupiscentiam rerum
proximi, *Exod. 20.* multo magis rapinas, cædes, & quæ
sunt similia, acriter prohibet, sed legibus quoque naturæ
l. 3 ff. de Just. & Jur. Civilibus, arg. V. 24. vers. cateriff. de captiv. &
postl. revers. l. 16. in princ. ff. de pœn. l. 3. §. 2. ff. ad Leg. Jud. de vi publ.
& Feudalibus, *tit. de pac. tenend. §. conventicula 2. lib. 2. Feudor.* sese
opponit. Ne autem cum hac impia diffidatione bonus
quoque diffidandi modus eruatur, probe dignoscendæ
sunt authorum inter sese, de licitis & illicitis diffidationi-
bus, disceptantium opiniones.

Thef. XIII.

Dividitur porro diffidatio in puram & conditionalem,
pura est quæ denunciatur alicui simpliciter futura calami-
tas, non addito si diffidatus hoc vel illud non dederit fe-
ceritve, conditionalis est, cum adjicitur conditio hæc, nisi
dabit, aut faciat, aut intermittat diffidatus hoc vel illud,
Schneidvv. ad §. item lex julia de vi & c. num 4. vers. Sed cum tam levis
Inst. de Publ. jud. Berl. concl. 22. de Pœn. minit. num. 22. part. 4. Inve-
niuntur tamen nonnulli, quibus & hæc displicet divisio,
statuentes, diffidationes conditionales non esse veras dif-
fidationes, sed tantum minas, & fulciunt opinionem suam
hac regula: conditio suspendit actum, & nihil ponit in esse.
arg. l. 213. ff. de V. S. Quapropter etiam poenam capitalem illis
dictari nolunt. Sed nihil præfugii illis præbet, quod pro-
ferunt de conditionis natura, conditione enim hac non
ipsa diffidatio sed calamitatis tantum illatio differtur, atque
æque sic terror incutitur, ac si purè diffidatio facta fuerit.

Thef. XIV.

Rejiciendam ergo hanc esse opinionem, ex superiori-
bus satis apparet, & probatur etiam *quest. 36. part. 4. Resolut. &*
decis. juris Saxon. his verbis: Die definition der Fehde gebet, daß die
welche

welche sich an Gleich und Recht nicht wollen begnügen lassen/sondern in
betranter eigener Rache/die Leute wider Recht nach ihren Willen zu leben
zwingen/das/ob gleich solche Fehde und Absage mit einer condition ge-
schehe/doch damit das thätliche Fürnehmen und Mord/Brand Raub und
dergleichen darinnen angezetget / das solches nicht pro simplicibus mi-
nis , weil es nicht alleine blosser Drauworte / sondern Schrifften und
Brandzeichen zu halten/und das dieser Fall eigentlich in der Reichs Ordo-
nung und Landes constitution gemeinet und klar begriffen / dann son-
sten wo man es solte bloß minas seyn lassē/was auf eine condition gesche-
he/so wären die jetzt gedachten constitutiones ganz vergeblich/ fitemahl
gemeiniglich die Befehdungen mit einer condition, und wenig
simpliciter oder ohne condition geschehen. *Quæ verba ut av-*
thentica juris Saxonici majorem apud nos auctoritatem
merentur, quam prædictorum opinio contraria. Accedit,
quo jura semper ad ea aptari soleant, quæ ut plurimum
fiunt, l. 4. & 5. ff. de LL. cum autem diffidationes plerumque
sub conditione quædam fieri soleant, ut textus supra cita-
tº satis ostendit, necesse est, Imperii Constitutiones, quan-
do de diffidationibus loquuntur, etiã conditionales dif-
fidationes continere, simpliciter enim illos pro veris dif-
fidatoribus habent, qui cuiquam annunciant, se eum igne,
rapinis, spoliis, cædibus & c. persequi velle, nulla habita-
ratione an sit pura an conditionalis. Item Scabini Saxo-
nici, teste Bocero tract. de diffidat. cap. 2. n. 16. semper pronun-
ciarunt, diffidationem veram esse & manere, licet condi-
tionaliter diffidaretur. Berl. concl. 22. n. 33 & 24. part. 4. Et si
conditionalis diffidatio non pro vera haberetur diffidati-
one, facilè fraus quædam inveniretur, per quam omnes
diffidatores indistinctè mortis pœna liberarentur, nemo
enim tam stolidus esset, qui, cum sciret conditionem dif-
fidationi adjectam pœnam capitalem tollere, amplius pu-
rè diffidaret, ut testatur dict. quest. 36. num. 4. Resolut. Saxon. se-
quentibus, Wo auch solches die rohen wilden Leute erlernet/das Absage

und Fehdes Brieffe/ so sie conditionatiter gestellet ihnen am Leben keinen Abbruch thun können/ so würde zu vielen Wachen und Unkosten Ursache gegeben/ un̄ die Reichs constitutiones hierdurch ganz verrückt werde.
Qvæ ratio Saxonicum quoque movit Electorem, conditionalem diffidationem æque diffidationem vocare quam puram, in suis novellis *part. 4. const. 15.*

Thef. XV.

Quod autem variè diffidationes ordiantur, ex variis intimandi modis constat. Fit enim vel ipsius diffidatoris verbis, vel per nuncium, vel per literas, vel signis tantum diffidatoriis. Per ipsius diffidatoris verba fit, quando ipse diffidator diffidando futuram calamitatem coram annunciat. Per nuncium diffidationes expediri posse probatur consuetudine quæ in bellis indicandis observatur, quæ indicatio nihil aliud est quam diffidatio bellica, hæc enim per nuncios s. Legatos, qui Feciales Heerolden appellantur, fieri solet, *Gail. lib. de Pac. publ. cap. 42. n. 42. vid. etiam constitutio Frider. Imper. de Incendiar. §. statuimus etiam.* Ubi multoties nuncii fit mentio. Cum autem per literas animi nostri sensa explicare soleamus, non est dubium, quin etiam per has diffidatoriam nostram intentionem declarare possimus. Sed diffidator curet, dum literas diffidatorias mittit, ut per testes idoneos probare possit, has literas ipsi diffidando in manus traditas esse, ne deinde diffidandus se excusare possit, quod non sit diffidatus, *Recess. Imp. de an. 1594. §. Dergleichen Fred. Mind. lib. I. de Processib. cap. 25. n. 1. 2. & 12. Petr. Heig. quest. 32. num. 10. part. 2.* De signis diffidatoriis variè mentio fit, scil. in *Ordin. Provinc. Sax. tit. muthwillige Befehder. §. Wenn wir daß.* Et dicitur signis diffidare, quando diffidator suū diffidandi animū signo quodam declarat, mit Brandzeichen aufsteckē/ mit Brände un̄ Beseme anhängen/ quibus diffidator toti illi communitati, aut ei solummodo,

do, cujus ædibus titiones, scopas aut carbones affixit, indicat, se notatos signis supra dictis acerrimè calamitatibus persequi velle. *Berl. part. 4. concl. 21. num. 17.*

Thef. VI.

Probè autem discrimen attendendum est inter minas seu minitationes, & veras diffidationes. Differunt autem secundum sententiam quorundam in hoc, quod diffidationes totam concernant communitatem, minæ verò ad privatum tantum spectent; alii verò sunt, qui putant minas esse, quando quis alicui indicat, se calamitatem ei illaturum, sed deinde poenitentia ductus id non exequatur, quod indicaverat, diffidationem autem tunc esse, quando intimationem revera sequeretur calamitatis annunciatae illatio. Alii statuunt, quod is qui minatur turbationem solummodo inferat, id est, offensiones quidem intendat, sed leviores tantum, proinde etiam nudum ejusmodi minatorem injuriarum teneri, & ab eo cautionem de non offendendo peti posse, diffidationes vero esse molitiones & annunciationes calamitatum atrocissimarum, quæ non solum uni privato, sed occasione dante toti quoque universitati damnum inferre possunt, cui assertioni posteriori tanquam veritati magis consonæ adhæremus cum *Mind. lib. 1. cap. 25. n. 18. Wesemb. consil. 33. n. 24. Gail. lib. 1. observ. 4. Menoch. lib. 2. cas. 140. Wurmser. observ. camer. tit. 47. obs. 24. Graven. lib. 1. concl. 4. Crus. tract. de judic. p. 1. cap. 35.*

Thef. VII.

Quæstio hic proponi solet, an mares tantum possint perpetrare diffidationem, an etiam Fæminæ? rationes variæ tam pro affirmativa quam negativa ab autoribus afferuntur, nobis affirmantium sententia placet, licet enim negantes proferant, quod justus met^o constanti viro non possit à muliere inferri, cum propter sexus infirmitatem
ejus

ejusmodi atrocitas non a usuræ præsumantur, secund. l. 5. §. ad filias. Cod. ad L. jul. Majest. nec etiam jus vindicandi in foeminis ita sit considerandum, ut exinde terror alicui aut justus metus incuti possit, ut ait Vulpellus *tract. de Pace quest. 14. n. 2.* nihilominus tamen mulierum atroces minas non sempervanas esse historiæ satis ostendunt, & testatur Gail. *lib. 1. de Pace Publ. cap. n. 34.* quod etiam foeminæ pacem publicam violare possint, licet non semper per se ipsas, tamen per illos quibus hoc in negotio utuntur, quidam etiam diffidare poterint, &c. *Moller. lib. 3. Semestr. cap. 29.* annotavit, quod mulier ejusmodi, quæ viro minis suis metum incussit, teneatur præstare cautionem de non offendendo.

Thef. XVIII.

Cautionem hanc de non offendendo quilibet minator præstare tenetur, & quidem si reus dives est & immobilia possidet, quidam sufficere volunt, si promittat sub bonorum suorum obligatione, se minas non exequi, nec ullum offendere velle, ut inter alios est *Berl. part. 4. concl. 22. um- 13. Vulp. tract. de promiss. de non offendent. quest. 76. num 1. vers. verum mihi. Farin. quest. 107. n. 48. de variis & divers. crim.* Alii statuunt, distingvendum esse inter divitem reum qui in dignitate constitutus est, & inter eum, qui munitus non est dignitate, illum sufficienter se obligare modo prædicto asserentes, *secund. l. 1. ff. de Custod. Reor.* Huic vero, licet admodum locuples sit, & immobilia possideat, tamen in totum non sufficere ejusmodi promissionem sub bonorum suorum obligatione, sed præterea fide jussores etiam constituere, illum debere, discriminis hujus hanc adducunt rationem, quod is qui in dignitate constitutus est, & ejusmodi quid sub obligatione bonorum suorum promittat, & deinde non stet promissis, non solum bona sua perdat, sed etiam dignitatum suarum (quæ bonis chariores) jacturam faciat, is vero

is vero qui nullam habet dignitatem, eam admittere ne-
queat, est ergo gravius pignus, divitiarum cum dignitate
conjunctarum, quam divitiarum solarum. Si vero reus non tam di-
ves est, ut pignoribus datis cavere possit, fidejussoribus
prestanda est de non offendendo cautio, *Hering. de Fide jussoribus. cap. 6. num. 243. Berl. part. 4. concl. 22. de Pœn. minit. num. 8. Coler. decis. 252. num. 3.* Et si ob nimiam paupertatem nec pignora tra-
dere nec fidejussores accipere possit, & reus alias non est
homo malae conditionis aut famae, juratoriam praestet
cautionem, *Jul. Clar. lib. 5. sentent. §. fin. quest. 47. num. 1.* Si autem
semel pejeraverit, aut in mala fama constitutus sit, non
admittendus est ad juramentum, sed in carcerem conjicia-
tur, donec causa timoris evanescat. *Clar. dist. libr. 5. q. 47. num. 5. vers. Et hoc dummodo Farinac. quest. 107. num. 41.* Et quidem
hanc ob causam, quoniam quidam homines vilis condi-
tionis eo promptiores sunt ad delinquendum, quo sunt
pauperiores, cum non habeant quod iis confiscari possit,
quapropter etiam observatum est, multa incendia aliaque
mala ab ejusmodi pauperibus nebulonibus juramenta
flocci pendentibus perpetrata esse. Non autem opus est,
ut cautio de non offendendo restringatur saltem ad eam per-
sonam cui minatum est, sed petens hanc cautionem, po-
stulare quoque potest, ut minator includat cautioni & to-
tam ejus familiam, consanguineos & familiares. *Berl. concl. 21. num. 14. Gail. lib. 1. de Pace Publ. cap. 2. num. 2.* ne dum solummo-
do cavit, se nolle offendere eum qui petit cautionem, de-
inde aliquid tentet in amicos aut consanguineos ejus,
concedunt enim jura suorum tutelam & curam adversus vim
suscipere, *l. 8. §. fin. ff. quod met. causa. l. 1. §. item divus. ff. ad L. Corn. de Sicar.* Et durat haec cautio, si simpliciter praestita est sine
prae~~fixo~~ tempore, usque dum causa timoris cesset, & ibi judi-
cis

C

cis

cis arbitrio est. *Ripa ad Rubr. ff. damn. infect. num. 23.* Sed si læ-
siones priores, in quarum vindictam minæ effusæ sunt,
ob earum gravitatem, tam tenaciter inhærent animo mi-
nimatoris, ut exinde irreconciliabiles ortæ fuerint iræ in-
ter minitorem & cautionis petitoem, dicendum est
in perpetuum cautionem tunc durare debere. *Vulpell. tract.
de promiss. de non offend. quest. 78. n. 2. & 3.*

Thef. XIX.

Licet autem hominis alicujus improbi minacia verba
pro nudis minis habeantur, si tamen ille deserto domici-
lio se deinde cōferat in loca suspecta, ubi nebulones ejus-
modi sese detinere solent, qui homines invadunt, quales
sunt v. g. in Italia & Gallia Banniti dicitur Banniten / ibique
ab iis ope & consilio adjuvetur, ut minas suas exequi eo
melius & tutius possit, tunc non amplius manet nudus
minator, sed diffidatori similis censetur, eodemque mo-
do quo diffidator punitur. Et si deprehensus fuerit ejus-
modi minator, qui se contuli in loca suspecta & infamia,
priusquam minas exequutus fuerit, tamen ob tranquillita-
tis publicæ turbationem eadem afficitur pœna, quæ dif-
fidator, ut testatur *Const. Crim. Carol. V. art. 128 Recess. Imp. de an-
no 1555. §. Wir sehen/ordnen &c. Berlich. d. concl. 22. num. 17. part. 4.*

Thef. XX.

Pœnam diffidationis injustæ quod attinet, illa varia
est. Sanctionibus imperii in diffidatores injustos pœ-
na pecuniaria cum amissione privilegiorum, it. Pœna
Banni Imperii statuta est. *Recess. Imper. de anno 1495. tit. Wieder
Landfrieden zu halten geboten und verpönt ist. it. de anno 152. tit. Die
Pön aller Friedbrecher.* Nullo tamē alio iudicio pœna hæc in-
figitur, quam in camera imperiali, & in iudici aulico Sa-
cræ Cæsareæ Majestatis, Diximus Banni pœnam statutā
esse

esse diffidatoribus in allegatis Recess & quidem hanc ob
causam, quoniam diffidatio species est fractionis pacis
publicæ ut hoc exacte probatur à Dn. Bocero tractat. de diffidat.
cap. 5. Cum autē dicti textus in genere tantum loquantur
de pacis publicæ violatoribus, quæque dicitent imperii
Bannum & diffidatores etiam pacē publicam diffidando
violent, applicari commode poterit recessuum horum
tenor ad diffidatores, cum quod de degenere dicitur, de
qualibet quoque specie dici possit. Accedunt præjudicia
quæ collector præjudiciorum cameralium refert in verb.
*Pax publica, ut in causa Simonis à Staden contra Abbatem à Rosenbergl
in causa Harleben contr. Randau, in causa des Thum Capituls in
Münster contr. Kettenberg etc in quibus eodem modo proces-
sum est, ac si alia violationis pacis publicæ causa fuisset, ut
testatur Mind. lib. 1. de processib. c. 25. n. 15.*


Thef. XXI.

Altera poena qua diffidatores afficiuntur, pecuniaria
est, 200. videlicet marcarum puri auri, cui statim annexa
est omnium privilegiorum, quæ diffidator habuit, amis-
sio. Videtur quidem hanc pecuniariam mulctam minimè
banno imperii exæquare gravitate, cum si locuples est
bannitus non solum 200. marcas puri auri amittat, sed et-
iam omnia sua bona in commissum cadant, & insuper
quoque ut infamis omnes imperii ditiones, sub poena
ulterioris animadversionis, fugere cogitur. *Besold. Thesaur.
Prætic. in verbo Ban. Kånserliche Recht.* Sed sciendum est, Pacis
publicæ violatoribus, præter hanc poenam Bannū quo-
que imperii infligi posse, & est in actoris arbitrio an velit
ad utramque poenam simul, an ad alterutrā solum agere.
*Ordin. Camer. Imp. Part. 2. tit. 9. §. wir wollen auch. Aynsing. cent 4.
Observ. 34. § cent. 5. obs. 78. num. 3. & 4.* Poena illa 200. Marcarū
par


partim cedit fisco partim læsæ perti, *Recess. Imp. de anno 1495. & 1521.* Hac quoque poena omnes auxiliares, consultores, & hospicio diffidatores suspicientes, eodem modo ac principales afficiuntur. *Rec. Imper. de anno 1500. tit. vom aufgerichteten Landfrieden. it. tit. p. jemand denen Friedbrechern etc. Recess. de anno 1521. tit. Die Von aller Friedbrecher. it. de anno 1522. tit. Wenn die Thäter erklärte Aechter &c. de a. 1584. tit. vom aufgerichteten Landfrieden.* In territoriis Saxonis diffidatores gladio puniuntur, *Ehurfürstl. Sächs. Constit. part. 4. const. 15.* Aliis etiam modis diffidatores ratione circumstantiarum puniri solent, sed quoniam brevitatis studio plura non addere libet, ea quæ posita sunt, exercitii gratia pro nunc
SUFFICIENT.


D. S. L. E. G.











99 A 6930

ULB Halle
002 822 520


3



sh

Vb 17





DISPUTATIO^{48.} JURIDICA
DE
DIFFIDATIONIBUS

vom
Befehden

QVAM
DEO DIRIGENTE

AC
Autoritate Jctorum Lipsiensium,
PRÆSIDE

VIRO

*Maximè Reverendo, Nobilissimo, Excellentissimo
ac Consultissimo*

DN. D. BARTHOLOMÆO LEON-
HARDO SVENDENDÖRFFERO

Jcto & Antecessore celeberrimo, Cod. Professore Meritis-
simo, Canonico Martisburgensi, Curæ Provincialis Supremæ
ac Facultatis Juridicæ Assessore Gravissimo, ut & Academiæ
Patriæ Decem-Viro Spectatissimo.

Dn. PATRONO AC STUDIORUM SUORUM PROMOTORE
æviternum colendo.

Publico Eruditorum examini submittit

WILHELMUS HOMBURG | Bataviâ
Javanus, Indus Orientalis.

Aut. & Resp.

ad diem IX. Martii, Anno Christi M. DC. LXXVI.

hor. loc. que Consv.

LIPSIÆ,

LITERIS JOHANNIS WILHELMI KRÜGERI.

H. Hieronymus Gruber

